Ephraem <Syrus>; Assemani, Giuseppe Simone [Hrsg.]: Sancti Patris Nostri Ephraem Syri Opera Omnia: quae exstant, graece, syriace, latine; in sex tomos distributa; ad MSS. Codices Vaticanos aliosque castigata, multis aucta, Nova interpretatione, Praefationibus, Notis, variantibus Lectionibus illustrata: Nunc primum sub Auspiciis Sanctissimi Patris ... Pontifecis Maximi e Bibliotheca Vaticana (Tomus Primus Graece, Et Latine)

1732 Seite VIII



multiſque incognita erat cauſſa. Cum enim tempus illas non auferret, ſed mutua quadam viciſſitudine, & lacrymæ ſuſpiria, & ſuſpiria lacrymas exciperent; alterutrius cauſſa latebat. Illud vero cognoſcet, quiſquis ipſius ſcripta evolverit. Neque enim tantummodo, ubi de pœnitentia, de moribus, de rectis vitæ inſtitutis agit, ipſum plangentem, ac ſuſpirantem inveniet: verum & in ipſis laudationibus, quas plerumque omnes multa aſpergere ſolent hilaritate. Hic vero eundem ſe ubique præbuit, aſſidueque lugendi munus, ut divitias expetivit. Unde & nunc fere cunctos ipſius ſermonum auditores ad veram amplectendam vitam revocat: tantam ipſius mixta lacrymis vim continet oratio. Quis enim ita duro & adamantino eſt corde, qui ejus verba audiens, non manſuefiat, morumque aſperitate abjecta, ſuis ipſius peccatis ex animo non doleat? Quis adeo ferus eſt, & immitis, qui ſalutarem ejus doctrinam auribus percipiens, tempus non deploret, quod perperam tranſegit? Quis adeo immanis atque crudelis, qui ſimul ac verba ejus quovis melle dulciora guſtaverit, non ſe mox mitem, amabilemque omnino exhibeat? Quis abhorrens a lacrymis, ita ſe tradidit voluptatibus, quin vel modicis illius verbis auditis retributionem illam, quam pro vita anteacta accepturi ſumus, in memoriam reducens, non lamentetur ac lugeat?

In rebus fieri nequeuntibus illud paſſim uſurpant proverbii: lapidi miſericordiam perſuades. At iſtud fieri poſſe, nos experimento edocti didicimus. Sanctus quippe hic ſenex, animos quos ob malam obſtinatamque duritiem lapides dixeris, plane emollivit, ac fregit, flexitque ut voluit. Quis enim ejus de humilitate orationem legens, non omnem mox de ſe exiſtimationem, ſtultamque arrogantiam deponat, ac ſe omnium abjectiſſimum confiteatur? Quis ea, quæ de charitate conſcripſit, lectitans, non ſic accendatur, ut ad quodvis etiam ſubeundum periculum, paratus ſit? Quis illa evolvens, quibus virginitatem laudat, non ſe Deo caſtum corpore, animoque offerre contendat? quis audiens, vel legens ejus ſermones, quibus judicium extremum, ſive ſecundum illum Chriſti adventum deſcribit, non ita corde & animo afficiatur, quaſi ad illud judicium jam jam ſiſtendus eſſet? metuque repente ſic exhorreſcat, ac ſi adverſus ipſum ſententia judicis feratur? Nam ita futurum iſtud Dei judicium accurate ac plene expreſſit, & ob oculos omnium ſtatuit præclarus ac ſanctus hic Vir; ut ad ejus cognitionem aliud nihil videatur deeſſe

A τοῖς πολλοῖς ἀγνοούμενον. χρόνου γὰρ ταῦτα μὴ διαιροῦντος, ἀλλ' ἀεὶ τῶν στεναγμῶν δάκρυα διαδεχομένων, εἶτα πάλιν τούτων στεναγμοὺς, καὶ κύκλου τινὸς γιγνομένου, ἄδηλος ἦν ἡ ἀρχὴ, καὶ θατέρου τὸ αἴτιον· καὶ τοῦτο τὶς κατόψεται τοῖς αὐτοῦ προσομιλήσας συγγράμμασιν. οὐ μόνον γὰρ ἀποκλαιόμενον αὐτὸν ἐν τοῖς περὶ μετανοίας καὶ ἤθους καὶ πολιτείας B χρηστῆς εὑρήσει λόγοις· ἀλλὰ καὶ ἐν αὐτοῖς τοῖς πανηγυρικοῖς αὐτοῦ λόγοις ἔνθα πολλὴν εἰώθασιν οἱ πλεῖστοι περιχάρειαν ἐν τοῖς λόγοις δείκνυσθαι· ὁ δὲ πανταχοῦ ταυτὸς ἦν, καὶ τῆς κατανύξεως διηνεκῶς ἐπλούτει τὸ χάρισμα· ἔνθεν καὶ νῦν σχεδὸν πάντας αὐτοῦ τοὺς τῶν λόγων ἀκροατὰς, πρὸς τὴν ὄντως ἀνακαλεῖται ζωήν. τοσαύτην ἰσχὺν ὁ τούτου κέκτηται θεόπνευστος λόγος δάκρυσι συγκεκραμένος· C ποῖος γὰρ ἀμείλικτος, ἢ τῇ καρδίᾳ λιθώδης, τῶν τούτου ῥημάτων ἐπακούσας, οὐ μαλαχθήσεται, καὶ τὸ σκληρὸν τοῦ ἤθους ἀποβαλὼν, ταῖς ἑαυτοῦ κακίαις ἐπιστυγνάσει; ποῖος ἄγριος τὸ ἦθος, ἢ θηριώδης τὸν τρόπον τὴν ψυχωφελῆ διδασκαλίαν αὐτοῦ ἐνωτισθεὶς, οὐκ εὐθὺς χρηστὸς καὶ ἐπιεικὴς, καὶ τοῖς τρόποις ἔσται φιλάγαθος; ποῖος χαίρειν ἐμμελετῶν D ταῖς τοῦ βίου ἡδυπαθείαις, καὶ τὸ δακρύειν ἀποστρεφόμενος, ὀλίγων ἀκούσας ἐκείνου ῥημάτων, οὐ θρηνήσει καὶ κλαύσεται, καὶ εἰς ὑπόμνησιν ἔλθῃ τῶν βεβιωμένων;

Μελλούσης ἀνταποδόσεως, λίθον ἐψεῖς, ἡ τῶν ἔξω παροιμία ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων παρείληφεν. ἡμῖν δὲ τοῦτο ἐναργῶς ἡ πεῖρα παρέστησε. τὰς γὰρ ἀλέγκτους καὶ ἀνυπείκτους E ψυχὰς, καὶ φυλάττεσθαι καὶ ὑπήκειν ὁ θεῖος οὗτος πρεσβύτης παρέπειθεν. τίς ἐντυχὼν αὐτοῦ τῷ περὶ ταπεινοφροσύνης λόγῳ, οὐ πᾶσαν μὲν εὐθὺς οἴησιν ἐκμισήσει· ἀλλ' οὐδὲ παντὸς ταπεινότερον ἑαυτὸν ἐκκηρύξει; τίς τοῖς περὶ ἀγάπης ἐπιβαλὼν, οὐχ ὑπὲρ ἀγάπης προκινδυνεῦσαι σπουδάσει; τίς τοῖς περὶ παρθενίας προσομιλήσας, οὐχ ἁγνὸν ἑαυτὸν ψυχῇ τε καὶ σώματι Θεῷ ἀγωνίσεται παραστῆσαι; F τίς τοῖς περὶ κρίσεως, ἤτοι δευτέρας Χριστοῦ ἐλεύσεως ἐγκύψας, οὐ παρίστασθαι τῷ ἐκεῖθεν κριτηρίῳ νομίσει; καὶ σύντρομος γενόμενος τὴν τελευταίαν ἤδη ἀπόφασιν κατ' αὐτοῦ ἐξενεχθήσεσθαι δοκήσει; οὕτως γὰρ παρέστησε τὸ μέλλον τοῦ Θεοῦ δικαστήριον ὁ ἀοίδιμος καὶ προφητικώτατος οὗτος ἀνὴρ, ὡς μηδὲν μὲν ἕτερον ὑπολείπεσθαι γνώσεως,

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/ephraem1732-1/0052
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg